Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Parnassvs Poeticvs Mœsto-Lætatus

Höfflich, Hieronymus

Altdorphii, 1623

VD17 VD17 15:745589E

XXVI. In eos qui soli sapere videntur

urn:nbn:de:bsz:31-138658

Visual Library

XXV.
Regis ad exemplum vivunt ſubditi.

Regis ad exemplum plane componitur omne
Vulgus, & ad mores vivit agitq; ducis
Si dux eſt juſtus populo qui præſidet, ipſe
Si gaudet veri relligione Dei
Intendens animum ſtudiis, ac rebus honeſtis
Otia ſi vitæ deſidioſa fugit,
Tunc etiam populus Summi mandata capeſſens
Regis ad exemplum relligioſus erit
Sin degunt reges ſub inerti tempore luxu,
Plenaq; ſi vanis ocia rebus agunt
Poſthabitoq; Deo cœli terræq; Monarcha
Longè aliud numen quod venerantur habent,
Tunc etiam vulgus verum Dominumq; Deumq;
Negligit, & mores gaudet inire feros.

XXVI.
In eos qui ſoli ſapere videntur.

Si natura tibi dederit dona inclyta forſan
Non ideo faſtu turgida corda geras,
Nec temnas alios, aliis qui dotibus aucti
Atq; alii forſan commoda multa ferunt
Ceu quondam pulchras ales Iunonia pennas
Oſtentans, dixit talia verba grui:
Aſpice quanta mihi pulchro ſub corpore forma
Aſpice quæ contra corpora fœda geras,

Sed

Sed fœdata ſecat ſubitis grus ſidera pennis
Et tangit verbis ultima verba ſuis
Quanta mea eſt levitas? gravitas tua Quanta? quid obſtat
Quo minus æquiparem me tibi, teq; mihi.

XXVII.
In quibus vita felix conſiſtat Ex Mart:

En narrabo tibi res queis potes eſſe beatus
Donec iu hoc fagili corpore ſanguis ineſt;
Gaza relicta tibi annoſi poſt fata parentis;
Non quæ ſit duro parta labore tuo,
Non ingratus ager, ſua ſed ſint arva colono
Grata & perpetuo luceat igne focus;
Lis nunquam; Toga rara; ſimul mens cònſcia recti,
Ingenuæ vires corpore ſub valido;
Simplicitas conjuncta cui eſt prudentia rerum;
Iungito amicitias & tibi rite pares;
Sit victus facilis nec menſam fercula lauta
Ornent, non noctem pervigilesq; mero,
Tum membris placidam rellinquat cura quietem:
Nec turbet ſomnum ſollicitudo tuum;
Triſtia ſic non ſint ſocialia fœdera lecti,
Caſta tamen; caſtus ſit tibi namq; thorus,
Cum ſuadent gratos labentia ſidera ſomnos,
Fac tenebras, rectè ſi ſapis ipſe, breves;